



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

De pura mente, & simplici intentione. 4

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

ce dimittunt: aliis sunt graues, sed sibi
semper grauiore. Et sunt, qui seipfos
in pace retinent, & ad pacem alios re-
ducere student. Est tamen tota pax no-
stra in hac misera vita, potius in hu-
mili sufferentia ponenda, quam in non
sentiendo contraria. Qui melius scit
pati, maiorem tenebit pacem. Iste est
victor sui & dominus mundi, amicus
Christi & hæres cæli.

CAP. IIII.

De pura mente, & simplici intentione.

I **D**VABVS alis, homo subleuatur
à terrenis, simplicitate scilicet
& puritate. Simplicitas debet esse in
intentione, puritas in affectione. Sim-
plicitas intendit Deum, puritas appre-
hendit, & gustat. Nulla bona actio te
impediat, si liber intus ab inordinato
affectu fueris. Si nihil aliud, quam Dei
beneplacitum, & proximi vtilitatem
intendis & quæris, interna libertate
perfrueris. Si rectum cor tuum esset,
tunc omnis creatura speculum vitæ,
& liber sanctæ doctrinæ esset. Non est *Rom. I.*
creatura tam parua & vilis, quæ Dei
bonitatem non repræsentet.

2 Si

Prom. 3. 2 Si tu esses intus bonus & purus,
Pf. 118. tunc omnia sine impedimento videres, & benè caperes. Cor purum, penetrat cælum & infernum. Qualis vnusquisque intus est, taliter iudicat exterius. Si est gaudium in mundo, hoc vtique possidet puri cordis homo: Et si est alicubi tribulatio & angustia, hoc meliùs nouit mala conscientia. Sicut ferrum missum in ignem, amittit ruginem, & totum candens efficitur: sic homo integrè ad Deum se conuertens, à torpore exuitur, & in nouum hominem transmutatur.

3 Quando homo incipit tepescere, tunc paruum metuit laborem, & libenter externam accipit consolationem. Sed quando perfectè incipit se vincere, & viriliter in via Dei ambulare: tunc minùs ea reputat, quæ sibi priùs graua esse sentiebat.

CAP. V.

De propria consideratione.

Ier. 17. 1 **N**ON possumus nobis ipsis nimis credere, quia sæpè gratia nobis deest, & sensus. Modicum lumen est in nobis, & hoc citò per negligentiam amit-